

Atqui Ecclesiam falli non posse in publico cultu est dogma Catholicum; quique repugnet Conceptionis in causa, eum de hæresi esse suspectum auctor est Gottus Cardinalis. Ergo tam cultus, quam pia sententia fundamentum in sacris litteris habent, ac Patrum sententiis. Quod est autem Ecclesiastici cultus fundamentum, idem poterit esse definitionis.

Mysterium, inquit, Nativitatis, & Assumptionis, quorum notitia vetustior est in Ecclesia, quam Conceptionis, non sunt hætenus definita. Non est igitur definiendum Conceptionis Mysterium. Priora Mytheria *fulciuntur etiam solidioribus fundamentis. Nam illud sanctificationis Marie, in quo fundatur ejus sancta Nativitas, habuit exempla in prophetis novi, & veteris testamenti. At istius Conceptionis nullum exemplum, immo contraria lex. Illud vero Assumptionis quoad privilegium resurrectionis post mortem in novissimo die erit omnibus commune: Omnes relurgemus (a): & quoad illud glorificationis corporis erit & istud omnibus prædestinatis concessum: Nos immutabimur. At Conceptio sine culpa originali nulli hominum fuit concessa, nec ulli concedetur, cum sit propria Christi Salvatoris nostri ex Spiritu Sancto concepti. Ergo si pro Mytheriis Nativitatis, & Assumptionis, esto antecellant in antiquitate, & in fundamentis Mytheriarum Conceptionis, non fuit necessaria definitio ex cathedra, nec etiam erit pro isto.*

Quid hoc homine facias, qui dies festos non Ecclesia potissimum auctoritate, neque populi Christiani religionem solemni, nec ipsa rei, cui sacer cultus habetur, sanctitate meretur, sed vetustate? Sed argumento respondeamus. Nemo hætenus bona fide Christianus aut Assumptionis veritatem, aut sanctitatem Nativitatis in dubium vocavit, postquam Ecclesia Romana, quod esset objectum Ecclesiastici cultus, in eorum Officiis testata est. Quocirca necesse non fuit illa Mytheria definire. In Conceptionis Mytherio non est ira. Alexander Septimus declaravit, Ecclesiam Romanam ho-

(a) 1. Corinth. cap. 15.